

132. Eiusdem valoris est & tertium βδέλυμα Pontificium, nempe Communio sub una specie: de qua olim concilium Constantiense (Obstantiense rectius) sic definit: Licet Christus venerabile Sacramentum sub utraque specie instituerit, & Ecclesia ita longo tempore observavit: tamen Hoc non obstante placet alterius tantummodò speciei usus pro Laicis. Sess. 13. Anno Chr. 1414.

133. Decretum hoc postmodum renovavit & confirmavit Conciliabulum Tridentinum: in quo Anathematis gladius strictus fuit in omnes, qui dixerint, ex institutione Christi, omnes fideles utramque speciem sumere debere. Sess. 5. d. 16. Jul. Anno 1562. cap. 1. can. 1.

134. Feditas huius abominationis ex utroque hoc decreto vel pueris innotescit: quippe quae 1. institutioni Christi è diametro repugnat. 2. Apostolorum & Ecclesiae primitivae Exemplo caret. 3. detestandum inter Laicos & Sacerdotes, quoad perfruitionem beneficiorum Christi, discrimen effingit, secus ac D. Petrus, qui omnes ad unum fideles, Regale Sacerdotium, gentem electam, & peculium Dei appellat. 1. Pet. 2, 9.

135. Quare non obstante Pontificis Romani, ac utriusque Concilij, tam Tridentini quam

Mm & Con.